

Parodia Horatiana

A D E V N D E M.

R Eüttlingam veterem dum celebras nouis
Scriptor carminibus, primaque Patriæ
Fundamenta refers vrbis amabilis,
FRISCHLINE, Aonidum nobilis arbiter,
Nec non & superigloria Cynthij,
Perbellè facis, & sole nitentius
Insigni monumentum ex humili potens
Præstans, quod neque mors, nec rapidus dies
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriére! vsque adeò tui
Vitabit Libitinam ingenij decus,
Solertisque Lyræ: te tua carmina
Vatem restituent lumine perpeti,
Dum Sol altifono prospiciet polo,
Ac tellus niueas parturiet rosas.
Florebis ceber quà N I C E R imminet,
Et quà diues aquæ R E M B V S inæstuans
Piscesum alloquitur gurgite N E C C A R V M.
Dicéris latio carmine P V B L I I
Andini veteres Sueuiadum ordine
Decantasse domos, limina regia,
Et quiduis aliud, quod memorabile
Priscis temporibus longiùs accidit.
O I A C O B E mihi carmine plurimùm
Salue grandifono, sume superbiam,
Quæsitam Historijs, & tibi Delphicâ
Cingent Laureolâ, Pierides, comam.

*M. Andreas Faber Ebingensis, SS. Theol.
Stud. f. Tubingæ, Cal. Mays Anno 99.*

E N C O.